



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 7. Altera Philippi Majoricani periclitatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](#)

rendæ rei potestate perscripta die lunæ **Sæcul. XIV.**  
tricesimo Octobris anno 1340. Subji- **A.C. 1340.**  
ciebant se illius imperio, quod attine-  
ret ad offensam, quam apud eum & Ro-  
manam Ecclesiam subiissent. Declara-  
bant se non credere, Papam ab Impera-  
tore posse de fastigio detrahi, & substitui  
alium; sed hanc propositionem habere se  
pro hæretica. Spondebant se neutiquam  
adhæsuras Ludovico Bavarо, vel schis-  
matico cuiquam: ac petebant veniam,  
quod illi & Matthæo Pro-Comiti gessis-  
sent morem, & antipapæ nuncios rece-  
pissent. Novariæ, Vercellarum, & Comi-  
cives se pariter submittebant per eun-  
dem Oratorem: censurisque omnes ex-  
solvebantur.

### §. VII.

#### *Altera Philippi Majoricani peri- clitatio.*

Vidimus Philippum Majoricanum a Pa- **Sup.lib.93.**  
pa Joanne XXII postulasse copiam **§. 55.**  
observandi regulam S. Francisci ad litte-  
ram, ac repulsam tulisse. Duodecim post  
annis eandem permissionem a Papa Be-  
nicto petiit: & quo facilius eam obti-  
neret, adhibuit commendationem Nea-  
politani Regis Roberti: cui Papa sic re-  
spondit: Quod noster antecessor post ple- **Rayn. 1340.**  
nam in senatu deliberationem denegavit, **n. 65.**

*Histor. Eccles. Tom. XXIII. L 1 haud*

**Sæcul. XIV.** haud facile recognosci debet. Antecep-  
**A.C. 1340.** sores nostri rogatu Fratrum Ordinis plu-  
 res ediderunt declarationes hujus regu-  
 læ; quarum aliquæ sunt positæ inter  
 sanctiones authenticas. Si vero huic pe-  
 titioni daretur locus: labaret earum au-  
 thoritas ac prorsus periret concordia in-  
 ter Fratres Minores jam nimio plus dissi-  
 dentes. Præterea Summa Sedes qua-  
 tuor solum ratos habuit Ordines Mendi-  
 cantium: & iste foret quintus, quem  
 temporibus istis approbandum non duci-  
 mus. Philippus in supplice libello suo  
 adjungit se videre res innumeræ littera-  
 riæ observationi regulæ obstantes. Sed  
 si eas removeremus, videremur forsan  
 magis favere huic Ordini novo, quam  
 veteri pridem confirmato. Aliud insu-  
 per incommodum hinc eveniret, nam Or-  
 dinis hujus, aliorumque Fratres multi,  
 quos emendare vellent sui Præsides, si-  
 mularent se transire ad hunc Ordinem  
 novum, & circumvagandi occasionem  
 inde caperent.

Denique Philippus ipse odium sibi  
 creat. Manifesto promovet ac defendit  
 sectam Beguinorum: contra Papam  
 Joannem, sedemque sacram multos ma-  
 li exempli sermones palam habuit, qui  
 eum in vehementem hæresis suspicio-  
 nem vocant: nec audimus eundem pœ-  
 nitentia signum aliquod edidisse. His  
 cunctis

cunctis ex rationibus nequimus salvo of- **Sæcul. XIV.**  
ficio annuere votis ejus: & tu gloriam **A.C. 1341**  
maculares tuam, si talem hominem tuo  
in regno tolerares. Dabat 7 Aug. 1340.

§. VIII.

*Mediolanum & Pro-Comites se Papæ  
submittunt.*

**S**equente anno duo fratres Joannes ac Luchinus Pro-Comites, Matthæi filii cum Papa redierunt in gratiam. Luchinus a morte Galeatii sui fratri natu maximi possidebat Mediolanum: & Joannes episcopatum Novarinum tenebat ab anno 1329, quo eum a Papa Joanne obtinuit: postquam schisma, & acceptum **Ughell. to. 4.  
p. 978.** ab antipapa Cardinalis titulum deposuerat. Hi duo fratres igitur ad Papam miserunt Guidolum Galicum civem Mediolanensem, qui Bononiæ aliisque Lombardiæ urbibus illum reconciliaverat. Habebat perscriptam gerendi negotii po- **Riyn. 1341.**  
testatem: & nomine Joannis ac Luchini **n. 20.** **Ughel. p. 300** Pro Comitum eadem Papæ promissa faciebat: eandem submissionem declarabat; agnoscens eum non posse gradu moveri ab Imperatore; ac spondens nunquam adhæsuros Ludovico Bavarо, vel Imperatori alii per summum Præfulem non confirmato; Papæque & Cardinali-  
**L 1 2 bus**